Sulikowski Nicolai: Themis sacra Excellm. ac Rndo D. D. M. Jacobo Kotowski.

THEMIS SACRA

Excellmo ac Rndo Domino

D. M. IACOBO PIOTROWICKI,

Decano Omnium Sanctorum, & S. Floriani, Canonico Eccles. Colleg. Prouisori Sch olarum Nouoduors. felicissimè auspicanti Professionem Theolog. in Alma Acad. Cracouień. ad gratulationem producta.

A

M. NICOLAO SVLIKOWSKI,

Coll. Minore, Ordinario Eloquent: Professore obseruantiæ & pietatis ergò

CONSECRATA.

C R A C O V I Æ.

In Officina Typographica Francisci Cæsarij, Anno D. 1641.

Stemma Vniuersitatis:



Aurea Sceptra tibi Genitrix, sint ferrea quamuis,
Principibus, populis, aurea semper eris.

Sicut duram terram ferrum emollit, sic Verbum Dei duritiam Cordis relaxat. Chrysos. in 21. Matt. Hom. 41.

QVot quot nouarum cætus Apollinis,
Laudum Camænas fingit in arduis.
Pindi recessibus virentis,
Margine vel resonantis Hæmi.
Treyssa nouit barbita tangere,
Melosq; pulchris qui edere vocibus,
Quale Amphion fastigiosos
Edidit ædificando muros.
Huc huc recurrat Pegaseo gradu,
Canat profanus, non fera prælia,
Non Ciuium gazas peramplas,
Magnificosq; Ducum Colossos.
Intaminatæ nescia gloriæ
Indigna fiunt, Bistoniâ fide,
Trophæa bellorum, frequenter
Fine malo medijsq; crescunt.
Est sola virtus, digna nitoribus
Horatianis, murmure Teîo
Æterna quæ sæclis perennat,
Nec Cariem metuit senectæ.

 Timet

Timet Tyranni, non popularia
Decreta vulgi, terribilem metum
Siniſtra Cui ſors, nec ſecunda
Ingerit Enceladiq; faſtum.
Muſis ſonoris, idoneus fuit,
PIOTROVICIVS iam modo barbita
Appendit, & lyrâ vetatur,
Palladios reſonare Cantus.
Suadet moleſtæ, rumpere tinnula
Themis Mineruæ, iuncta phalangibus
Cæleſtis aulæ, quæ patentis
Peruolat Amphitheatra mundi.
Arcana rerum non Metaphyſicus,
Abſtruſa noſcet, ſi Theologiæ
Ignarus, impinget frequenter
Hæreſis in ſcopulos procacis.
Nullasq; Cauſas phyſicus eliget
Cui mente Cedit Sacra Scientia
Vnde ortus occaſusſq; noſter
Neſcit & impluat vnde nimbus.
Vt Phæbus aſtris luce minoribus
Præit Coruſcâ, ſic Theologia,
Ad vſq; formoſum Mineruæ,
Inuidiam ſuperat nitorem.

Hæc

Hæc clauſtra Cori, monſtrat & efferas
Nerèi procellas, iura ſecuribus
Stipata, præſcribitq; leges
Principibus niueumq; iuſtum.
Propinqua muſtis, eſt ſapientia,
Sacrata Certum eſt lac Theologia
Prior ſuperba Corda reddit,
Hæc recreat reficitq; mentem.
PIO TROVICI ergo Conſcia Numinis
Themis, ſacratis te excipit oſculis
Aptatq; vertici corollas
Sydereo religando peplo:
Honore tali pulcher in eſſedo
Virtutis almæ non ſine gaudio,
Viſes ſerenatas phalanges
Nec metues vada nigra Lethes.
Sinet beatum ducere ſpiritum
Dies amænos, abſq; doloribus,
Impune te myſtam ſerenos
Illa vehet vehet illa Cælos.
Magni laboris, doctus emi benè
Valore Certo, poſſe Scientiam,
Æſtum iuuentæ reprimebas
Socraticos legitando libros.

Fulgens Sophorum, surgeret ex tui
Cordis recessu, fax sapientiæ
Tonare debebas Tylicij
Eloquij modulos suàues.
Fructus laboris, præmia Gratiæ
Immensa ponent, turba precamina
Nouemq; Director sororum
Innumeros tibi spondet annos.
Persæpe suauis fluminis impetu,
Tuoq; presse murmuris alueis
Ex ore manantes susurros,
Attonitum bibit aure vulgus.
Sic te fluentem vidit & Italus,
Linguæ susurris, suauiter aureis
Per Teuthonas produxit vrbes
Eloquij Celebranda virtus.
Fucata non sunt præmia gloriæ,
Crescunt laboris nisibus arduis,
Imos & insignes coronant,
Ad iuga Celsa vehunt honorum.
O chare vates o Academici,
Splendor Lycæi, sic sacra pulpita,
Te Diua iusserunt vocare
Templa, tuis recreata verbis.
Cursus

Curſus aquarum, vincis & efferos
Auſtri furores, iuncta ſibi duo,
Ædeſq; ſyluas arboreſq;
Corripiunt pecudeſq; ſecum:
Sic tu fluentem conglomeras ſonum,
Mentis proteruæ ſoluis & obices,
Fædæq; laſciui Lutheri
Exitium meditaris arti.
I perge ſacris clangito buccinis
Voluaſq; fluctus, mox populorum vbi.
Impleris aures mentis ardor,
Creſcet Adæ ſoboli beatus.
Tibiq; plaudet non Samius ſenex,
Parens diſertus nec Latiæ lyræ,
Ieſſeus aſt vates Nepoſq;
Iſacidum Citharâ celebris.
Poſthac IACOBI dulcia barbita
Viciſſe rictus, Neſtorij Canis
Canentur, excantata Arij
Monſtra tuis abyſſe ſiſtris

DEDICATORIUM

Gratus amor, Pietas suasit mihi scribere Carmen
Sic reor, ipse leget, gratus amor pietas.